

1700.

1. Prossens, Carolus Ignatius Ferdinandus: De collatione bonorum
Germannicae die Exaratione etiis quibus.
2. Guntherus, Iohannes Ernestus: Orbis iuridicae . . . publicis
Bauvolumen Sacrae Scriptae.
3. Lobeck, Jakob Elias: De usu feriarum Saxonico.
4. Strit, Joannes Philippus: De jure unscripto seu
Consuetudine

1701.

1. Bleymüller, Iohann Aureus: De rebus societatis
2. Homburgius, Aureus: De Literis bellorum pionibus. 3 fasc.
3. A. Lilius, Melchiorus Laurentius: De iuris utriusque Schmieden
utrumque verius; den stofflegem
4. Lilius, Melchiorus Laurentius: De usufructu utriusque Neiß-
Brach - Truchbi. Missa cum dubia Niesung.



5. Meier, Ioh. Christph: De eo, quod jactant est circa
fiscalem maxime et processu inquestiorum

6. Meier, Joh. Heussus: De infamiae jactitia

7. ^{et} Meier, Joh. Heussus: De reclamationibus seu literis
informatoriis. Von abrig Kestlichen Bericht. Schriften
3 Bandes. 1711, 1717 & 1746.

8. Meier, Joh. Heussus: De proutudinibus iuris - partita, priori
legiabrum testium proutus dox. id exhibens

1702 ^a geminus Schamer, Benedictus: Theses in iur. medicinae generales.

1702 Hippocratis, Christianus Volcalis: De rebus et lectionem
majestatem ac et constitutio universalia

2. Lange, Gaspard: De eo, quod absconditur est
circa. interpretationem legum.

3. Meier, Joh. Heus: De revolutione, Wieder-Erlösung.
4. Meier, Joh. Heus: De differentiis statutorum differ.
Leonium circa ius immunitum in cass successioneis.
5. Streit, Joh. Philippus: De mortaliis iuriis, iurisdicticis, castibetis
et viis libera redemptiois.
6. Streit, Johann Philippus: De ev, quod iustum est circa
exemptiones contra promissionem iuralem
7. Streit, Johannes Philippus: De his, que in pacienti lego
finunt.
8. Streit, Johannes Philippus: De receptione



1701, 1
DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA,
DE

VALIDO SOCIETATIS FIRMAMENTO,

Quam

DEO FAVENTE

ET

INCLYTA JCTORUM FACULTATE

IN ANTIQVISSIMA ERFURTENSIMUM

ACADEMIA CONSENTIENTE

IN AUDITORIO JCTORUM MAJORI

d. 10th Maii A^o. M. DCCI.

PRO

LICENTIA

*Supremos in Utroque Jure Honores, Insignia
ac Privilegia Doctoralia legi-*

timè acquirendi,

Publicæ Eruditorum Disquisitioni

absque PRÆSIDE

submitit

JOHANN ANDREAS *Meymüller.*

*Ecclesie et Sacrae Scripturae Commentator
ERFORDIAE,*

Excudebat JOH. HENR. Grosch / Acad. Typogr.





PRÆMIUM.

Vamvis totam Juris universæ materiam in luculentissimam prudentissimum Imperator redegerit consonantiam, arg. L. 1. §. 5. L. 2. §. 15. C. de Vet.
 Jur. encl. nihilominus tamen vexatisima adhuc emergunt dubia, quæ non levissimam decidendi curam postulant. Minima namque circumstantia non tam jus, quam ejus applicationem variat. Et cum horum non pauca, præprimis in contrabendis, seſe exerant negotijs: hinc B. L. haut displicebit, quod impræsentiarum presens thema ad cōfirmiūs contrabendam societatem elegerim; præfertim, quoniam præter Magnif. Dn. Strykium, cuius vestigia & ego ſecutus, pauciores de necessaria hacce materia practicas edidere observationes. Et ſicuti mihi haut perſuadere potero, ut omnia omnibus placuerint: Ita maximè ero contentus, ſi altem, quoad nonnulla favorem B. L. obtinuero. DEUM præterea ſollicitè rogo, ut gratiâ ſuâ laboribus meis

A

adiffe,

¶ 2. 50

*ad eſſe, & omnia in ſanctissimi ſui Nominis eternam
gloriam benigniſimè dirigere velit!*

B. C. D.

PARS GENERALIS.

TH. I.

Eges ſcire non eſt verba earum , ſed vim ac
potestatem tenere. L. 17. ff. de LL. Cum
autem juri operam daturum ante omnia
noſſe oporteat , unde verborum nomina
originem trahant. L. 1. ff. de J. & J. Jure
meritoque vocabulorum explicationi aliqualem tribuere
operam par erit. Quemadmodum verò ſumimè neces-
ſariā tantum eorum explicatione contentus ero, ita philo-
logicas subtilitates ſubtilioribus philologiae amalijs relictas
volo.

TH. II.

Hac in præſenti autem Dissertatione verborum tri-
ga noſtris ſeſſe litiſtit oculis. Hanc enim inscriptionem re-
præſentat rubrica : DE VALIDO SOCIETATIS FIRMA-
MENTO. VALIDUM à valere dictum eſſe, inter omnes
conſtat. Tantum tamen abeft , ut hoc vocabulum ſani-
tatem corporis, multò minus rei preium hic respiciat ,
ut potius eō in ſensu acceptum velim , quō actus alicujus
ſingularem denotat effectum , hinc efficaciam , vires &
robur juris exprimit , ut ſi dicam : Si non valet jure Testa-
menti , valeat Jure Codicillorum. Sic quoque ſumitur in
L. 2. C. que ſit long. confv.

TH. III.

103 3. 60
TH. III.

A firmare FIRMAMENTUM descendere vix dubitatur , firmare verò , quod à firmus , a , um , originem trahat , tutissimè afferro . Notum autem est , quod sumatur vel pro universi hujus mundi fundamentō , quando dicitur firmamentum cœli & terræ &c. vel pro stabili-
mento & robore , quæ acceptio & mihi jamjam ad palatum erit . Alijs dicitur continens causæ , punctum litis deci-
sorum . Græcis οντιζων , hoc est , post quod nihil queritur .
Calv. in Lexic. Jurid. bas voce.

TH. IV.

Pergo nunc ad vocabulum SOCIETATIS , quod nonnulli à sequendo derivatum cupiunt , quoniam ordinem exprimit , quò plures uniuntur , unde secundus quasi seqvundus , qui sequitur primum . Alij à secundo comparatum autumant , quia socij quasi partes sunt , unum totum constituentes , hinc Societas quasi secietas & sectio in partes . Inde quoque descendit sexus i. e. nota , quā masculus & fœmina discernitur . *vid. Bechm. in orig. lat. lingv. voce Socius.* Alij denique à consortio deducere stu-
dent . Cum autem hæ derivationes omnes potius allusi-
ones , quam veræ derivationes sint , rectius afferitur ,
quod à vocabulo Socius , quod primitivum est , genuinam suam originem trahat . *Richter. in Disput. de contr. ii. Tb. 1.
lit. a.*

TH. V.

Sicuti verò homonymia est errorum genitrix : ita & hoc vocabulum ab homonymia venit liberandum . Cuilibet autem de facili colligere licebit , quod hoc non

A 2 intel-

intellectum velim in sensu politico, in quo vel societatem universalem, quæ cum Republica unicuique nostrum est, Cic. i. Offic. 57. vel particularem, auptialem scilicet, patriam, dominicam &c. exprimit, communes enim ha- sunt, & ab instituto meo planè alienæ significaciones. In jure sumitur Societas vel generaliter, quatenus denotat modo corpus seu Collegium, L. 1. pr. §. 1. ff. quod eius- que univers. nom. L. 3. §. 4. ff. de B. P. L. 31. §. 1. ff. de Furt. L. 22. ff. de Fidej. & Mandat. quibus qui præsumunt, Societa- tum Magistri appellantur, L. 14. ff. de Pract. Meier. in Coll. Jur. Arg. Lib. 17., tit. 2. Tb. 2. modò societatem vitæ, i. e. conjugalem seu matrimoniorum, L. 1. ff. de Action. rer. a- mot. modò societatem latronum, L. 30. §. 4. ff. ad L. Jul. de adulst. modo societatem scelerum L. 4. C. de quaest. quæ duæ ultimæ acceptiones valde impropiæ & abusivæ sunt, vel specialiter. & ita rursus vel propriè vel impropriè, hoc modò, pro quâvis rerum communione, hinc qui in com- munione vivunt, dicuntur Socij, §. 3. Inst. de obl. quæ ex quasi contr. nasc. Et hæc est vel non conventionalis, quæ re & casu constituitur, vid. §. subseqv. IIX. in hanc enim, partes non consentiunt, sed coincidunt, L. 31. ff. pro Socio, L. 25. §. 16. ff. Famil. hercif. vel conventionalis, quæ per conventionem & verum consensum constituitur, d. L. 31. ita ut sit effectus Societatis Lauterb. in Colleg. Theor. Pract. b. t. §. 1. illò modò pro contractu verò, quò duo plures- ve vel utrinque pecunias aut res, sive universas sive ali- quas, vel ex unâ parte res, ex alterâ operas in commune, conferunt, eâ lege, ut lucrum & damnum pro portioni- bus ipsorum conventione constituendis inde proventu- rum, inter se commune habeant. Locam. Disp. de caus. act. tb. II. 7. pr. Biccus in aur. Jur. Civ. Inst. Sect. 4. & 102. uti

103 5. 54

uti accipitur in Institutis Tit. de Societate & in Digestis
pro Sociō, quae significatio etiam hujus loci est.

TH. VI.

Ad hujus vocabuli Synonymiam pertinet, quod ab
Ulpiano sublimioris indolis JCto^o, alias vocetur Consor-
tium voluntariorum L. 52. §. 8. ff. pro Socio, nec non Socie-
tas voluntaria L. 63. §. 8. ff. eod. Germanicē salutatur Ges-
ellschaft/Gewerbs-Gesellschaft / & Socij Gewerbs
Leuthe/Gewerbs Verwande. It. Maß Copey / Dno.
Stryk. in Caut. contr. Setz. 2. cap. 10. §. 1. Compagnie &c.
Hopp. in Comment. ad Inst. p. 740.

TH. VII.

Definitione nominaliā penititā consideranda nunc
venit Definitio realis. Diversimodè autem à diversis de-
finitur: ex omnibus tamen sequentem defendendam eligo
definitionem, quod scilicet Societas sit Contractus Juris
Gentium §. 2. in f. Inst. de J. N. G. & C. L. 7. pr. & §. 1. ff.
de Paet. verus, nominatus, d. L. 7. §. 1. de Paet. confensualis,
pr. Inst. de obilig. ex consens. L. 2. pr. & §. 1. ff. de O. & A.
L. 19. & Arg. L. 52. §. 8. L. 63. §. ult. L. 65. §. 3. ff. pro Soc.
L. 5. C. eod. §. 4. Inst. b. r. L. 25. §. 16. in fin. ff. Famil. hercisc.
bona fidei, §. 28. Inst. de Act. L. 79 ff. pro Soc. quod duo
vel plures res in commercio existentes, L. 29. pr. L. 63. §.
f. ff. b. t. & operas in negotiationem licitam, pr. Inst. eod.
L. 5. pr. L. 32. L. 57. ff. b. t. L. 35. §. 2. de contrab. emtione
L. 1. §. 14. de tut. & rat. distr. L. 70. §. ult. ff. de fidej. &
mandat. ad commune lucrum & damnum §. 1. 2. & 3.
Inst. de Societ. L. 29. pr. L. 30. L. 67. pr. ff. eod. conferunt.
Meier in Coll. Jurid. Arg. lib. 17. Tit. 2. Q. 3. Bicc. in aur.

Jur. Civ. Inst. Sect. 4. t. 102. vel brevius : Societas est contractus consensualis, quod duo vel plures res & operas sibi invicem communicant, ut lucrum inde proveniens a quis partibus dividatur.

TH. IIX.

Differentia itaque inter huncce contractum & communionem intercedit maxima , cum haec etiam absque consensu & conventione mutua constituantur, & tamen a nonnullis dividitur in CONVENTIONALEM & INCIDENTEM. *Habn. ad Wesenbec. b. t. num. 1.* seu in VOLUNTARIAM & NECESSARIAM. *Rittersb. ad pr. Inst. de Societ.* Incidentem & Necessariam nominant, cum prae intentionem in Socium L. 25. §. 16. ff. *Famil. hercise.* vel *communionem* intidunt. L. 31. ff. pro Soc. Seu quando non voluntas sed res d. L. 25. L. 46. ff. de O. & A. vel etiam necessitas L. 3. §. 10. L. 46. ff. de neg. gest. L. 6. §. 2. ff. *comm. div.* Societatem constituit. Quod contingit vel casu vel factu nostru vel tertij. Facto tertij accidit, si duobus una eademque res legata , aut eadem haereditas aut donatio obvenerit, §. 3. *Inst. de oblig. qua ex quasi contr.* d. L. 31. ff. pro Soc. L. 25. §. 16. ff. *Famil. hercise.* Factu nostro si a pluribus una res simul emta absque societas in eiusdem intentione d. L. 31. Si enim eodem animo ad emitionem accesserint , Socij voluntarij erunt. L. 2. pr. ff. *comm. div.* L. 52. pr. ff. pro Soc. *Jason lib. 1. cons. 185.* num. 7. segg. *Hilleg. ad Donell. lib. 13. comm. 15. lit. g.* Et casu denique, si duorum materiae fortuito confusæ §. 27. *Inst. de R. D.* vel arbor in confinio posita vento dejiciatur L. 83. ff. pro Soc. L. 19. pr. *comm. div.* vel si in alieno fundo quis thesaurum casu invenerit, §. 39. *Inst. de R. D.* Conventionalem & Voluntariam

luntariam verò appellant, quæ ex conventione partium formam accipit. At quoniam requisita genuina divisio-
nis deficiunt, (omnis enim divisio ab essentia rei partici-
pare debet, contractus autem Societatis consensum ad sui
perfectionem requirit,) illam ut anomalam seu irregula-
rem merito rejicio; præprimis cum communio rectius
effectus Societatis sit, quām peculiari speciei titulo in-
signiatur. Non enim sic colligere licet! Ubi est communi-
no, ibi quoque Societas, licet communio sit, ubi est So-
cietas, l. i. §. 1. L. 58. pr. ff. b. t. L. 13. §. ult. verbo: ergo si
quis area Et. ff. de præscr. verbis. Lauterb. Coll. Theor. Praef. ad
ff b. t. §. 1. Societas insuper partium conventione consistit,
L. 4 pr. L. 32. ff. b. t. communio verò etiam nullò contra-
etu, utjam demonstratum, habitò contingere potest,
Meier. in Coll. Jurid. Arg. Lib. 17. Tit. 2. §. 2.

TH. IX.

Magis ideo in Jure fundata & adæquatæ sequentes mihi placent divisiones, quando Socieras ratione materia: I.) dividitur in PUBLICAM & PRIVATAM, illa de rebus publicis, v. g. de vestigalibus initur, quod & nonnulli re-
latas volunt Societas Salinarum, Cretifodinarum, Metallorum L. 3. C. b. t. L. 13. ff pr. de Publican. L. 1 pr. ff.
quodcuusque univers. nom. & ita quoque aurifodinarum & argentifodinarum, Arg. d. L. 1 pr. Meier. in Coll. Jurid.
Arg. d. l. tb. 4. quia verò hæc hodie etiam in bonis privato-
rum sunt, privatis quoque societatibus certò respectu an-
numerari possunt; hæc de rebus privatorum contrahitur,
pr. Inst. b. t. L. 5. pr. L. 59. L. 63. §. 8 f. eod. Wessenbechius in Parat. b. t.
num. 3.

TH. X.

Ultima autem hæc laudata species novas iterum sup-
peditat

§ 8. EC

peditat subdivisiones, est enim II.) vel generalis sive universalis, quæ ad certam partem non restringitur, vel specialis sive particularis, quæ unam saltem negotiationem respicit pr. *Inß. de Societ. Lauterb.* in *Coll. Theor. pract. ad ff. b. t. §. 2.* Illa rursus dispescitur in Societatem in Specie omnium bonorum, *L. 1. §. ult. L. 3. §. 1. L. 52. §. 16. 17. L. 65. §. 3 ff. b. t. L. 4. C. eod.* Seu universorum bonorum, *L. 5. pr. ff. b. t. Universarum fortunarum L. 73. pr. & §. 1. ff. b. t.* Totorum bonorum pr. §. 4. *Inß. eod. L. 68. pr. ff. b. t. Meier. d. l. b. 4. & simpliciter bonorum, L. 7 ff. b. t. Bachov. ad Treutl. Vol. I. Diff. 27. l. b. 8. lit. F. & G.*

TH. XI.

Sed ut ad rem ipsam accedam, omnium bonorum in specie seu nālē ~~ex~~ ac in sensu famoso universalem, *Dn. Stryk. in Cant. Contr. Scđt. 2. c. 10. §. 3. de omnibus omnino bonis coēunt, L. 3. §. 1. ff. pro Soc.* Ita, ut omnia tam præsentia quam futura comprehendat bona, quounque modō titulō honesto, sive lucrativō sive onerosō quæsita, *L. 3. §. 1. L. 52. §. 17. L. 53. ff. eod.* Unde facile judicium ferre licet, sub hac Societate etiam containeri legata, hæreditates & donationes *L. 3. §. 1. L. 73. pr. ff. pro Soc.* nec non salario, stipendio, occupata & inventa ab uno Sociō, *Zœfius in Comm. ad ff. b. t. num. 10.* quod & ita procedit, quamvis alter Sociorum per se capere non possit. Sic Spurius non potest succedere ab intestato in hæritate paternā, si tamen talē cum hærede Patris contraxit societatem, nihil obstabit, quo minus etiam sibi possit acquirere dictam hæritatem. *Mant. lib. 6. tit. 5.* Exceptio tamē facienda in Feudis, quia species alienationis est, quæ verò ad fructus sese non extendit, *arg. 2. Feud. 952. 55. Siruv. in Synt. Jur. Civ. Exerc. 22. tb. 26* quoniam Vasallus hos

103 9. E.

hos plenissimè sibi acquirit; quoad ipsum verò Feudum ita adhuc limitandum esse puto; nisi Dominus Feudi directus & agnati consentiant, vel socij sint ipsi agnati, aut simultaneè investiti. Et hujus decisionis insuper etiam datur ampliatio, cum idem obtineat in Usufructu, quippe qui quidem quoad fructus, non verò quoad ipsum jus conferri potest in societatem arg. L. 8. §. 2 ff. de peric. & commod. res pend.

TH. XII.

Uti autem in hac universalì societate omnia commoda, ita quoque omnia damna & impendia sunt communia, L. 52. §. fin. ff. b. t. Struv. in Synt. Jur. Civil. Exerc. 22. tb. 27, quia huic omnia quaestia cedunt, merito & sumtus, quos honestas, æquitas & necessitas exigit, imputantur. Et hoc ita verum, licet causam societatis non respiciant, ut sumtus curationis, nisi morbo gallico, ex mala conversatione contractò, decumbat, d. L. 52. §. 4. & §. fin. L. 60. §. 1. L. 61. L. 73. pr. §. 1. ff. pro Soc. L. 39. §. 3 ff. Famil. heredit. Lauterb. c. l. §. 3. Nec huic asserto obstat inæqualitas, si v. g. unus filium elocaverit, vel sumptus studiorum in filium impenderit, alter verò planè nullos habeat liberos. arg. L. 81. verb. nam si commune &c. ff. pro Soc. Sibi enim alter imputare debet, quod sciens & volens talēm inierit societatem, vel in eā ulterius persistiterit, nam uti in hac non consideratur, an occasione unius plus lucri, v. g. per hæreditatem, donationem alteri obyenerit, sic etiam æquum, ut non attendatur, an respectu unius plus erogatum fuerit. Spes namque incerta, incertusque eventus, quibus se se commitunt in ineunda hac societate, circa lucrum & damnum omnibus communis est.

B

TH. XIII.

TH. XIII.

Specialiter omnium bonorum societate considerata,
 Societas simpliciter bonorum spectanda venit; dicitur
 autem alias indefinita. *Dn. Stryk. in Caut. Sect. 2. c. 10. § 3.*
 & contrahitur nullā omnino factā rerum seu omnium
 bonorum mentione, L. 7. ff. b. t. Saltemque comprehen-
 dit ea, quæ ex quæstu, negotiatione & operâ Sociorum,
 puta titulō onerosō, proveniunt, L. 7. & seqq. ff. eod. Hinc
 excluduntur ab hac donationes, legata, hæreditates, L. 9.
 seqg. ff. h. t. & omnia, quæ titulō lucrativō Socio acqui-
 runtur, quamvis intuitu Societatis factum, si nimirūm
 quis propter Societatem donationem acceperit, vel hæres
 fit institutus, L. 60. §. 1. ff. pro Soc.

TH. XIV.

Quemadmodum verò universalis Societas, vel de o-
 mnibus omnino bonis, vel de ijs tantum, quæ titulō saltem
 onerosō acquiruntur, contrahitur: ita particularis, seu
 non omnium bonorum Societas, respicit vel certam ali-
 quam universitatem, quæ etiam certō respectu universa-
 lis dicitur, qualis est, quando hæredes post aditam hære-
 ditatem inter se convenient, ut illam indivisam ad æquale
 lucrum & damnum retineant, L. 39. §. 3. ff. *Famil. hercisc.*
 ubi ejusmodi Societas universorum bonorum Societati
 opponitur. Quicquid enim aliunde acquirunt, sibi acqui-
 runt, L. 52. ff. pro Soc. vel spectat rem aliquam particula-
 rem, sive certam tantum negotiationem. *Molin. Disp. 402.*
Bachov. ad Treutl. Disp. 27. §. 8. l. F. G. Brunnem. ad L.
2. ff. pro Soc. Unde est Societas ad emendum L. 52. §. 11. L.
 69. ff. eod. ad emendas merces d. L. 52. §. 15. ad fundum e-
 mendum, L. 52. pr. ad rem conducendam, L. 65. §. 2. ff. b. t. & c.

TH. XV,

1511. 66
TH. XV.

Non tñ. prolixitatis studiõ hasce species adductas esse quisquam judicabit, si paulò accuratiüs mecum earū differentiam, quæ maximē in Effectu constituitur, pensitabit. In specialiter enim omnium bonorum Societate per fictiō-siem juris post initum statim contractū res omnes præ-sentes, quæ scilicet Socij eō tempore, quō contrahunt Societatem sine verā traditione, que tamen intervenisse, singitur L. 2. ff. pro Soc. pro partibus indivisis communi-cantur, L. 1. §. 1. ff. eod. Nec huic assertō verè repugnare valet Lex 20. C. de Patz. ubi dicitur, quod traditionibus, non verō nudis pactis rerum dominia transferantur, quia ipse res pro partibus indivisis communicantur, Societa-tē enim contrahens non in totum desinit esse 'Do-minus. Non idem tamen dicendum de nominibus, quæ non nisi per cessionem communia fiunt; L. 3. pr. ff. pro Soc. quoniam specialis ac personalis obligatio hic inter credi-torem & debitorem occurrit: Socius igitur contta Socij debitorē actione personali antequam cessā, experiri haut valet, quia personalis actio adversus tertium non extendi-tur, L. 25. ff. de O. & A. Hahn. ad Wesenbec. b. t. num. 12. securus est in Judicijs realibus, que ex iure in re consequutus est, & proinde absque cessione instituere valet, Lauterb. d. L. §. 14. Aliud quoque obtinet in postea acquisitis, quæ alter alteri actione pro Socio communicare tenetur, L. 74. ff. b. t. In simpliciter bonorum & particulari Societate ob rationis diversitatem absque reali collatione bona non conseruntur, arg. L. 1. §. 1. L. 8. §. 1. ff. eod. Hopp. in Comment. ad Instit. pag. 740. Communicantur autem in hac inter-dum res principalestantum quoad fructus, usum, pretium vel lucrum percipiendum, L. 7. L. 44, L. 52, §. 2. ff. pro Soc. Franzk.

Franzk. b. t. num. 45. s̄pius enim accidit, ut res nostras cum aliquo non communicemus, sed tantum earum utilitatem, quæstus & redditus, L. 58. pr. ff. eod. interdum etiam quoad proprietatem Socijs communes sunt, ut scilicet pro partibus indivisis ipsum sit commune Dominium, *Lauterb. b. t. §. 15.* Hinc Societas iterum alia est, quæ consistit in sorte, alia, quæ in interusurio, illa proprietatem includit, & semper occurrit in specialiter omnium bonorum; hæc tantum fructus & lucrum concernit, & in simpliciter bonorum vel in particulari Societate obvenit, *Brunem. ad L. 1. C. b. t. num. 2.* Idem ad L. 1. ff. eod. num. 12. 14. Alias divisiones, v. g. de Societate mensæ, quæ plures de unâ mensâ communiter vivunt, alia verò bona absque communione possident. *vid. apud Klock. Vol. 2. conf. 70. num. 88.* *Brunnem. ad L. 1. & 2. ff. b. t. num. 4. & 5.* De pacatâ & bellicâ conf. *Stryk. incaut. contr. sect. 2. c. 10. §. 1.* It. de Leonina Societate *vid. Struv. Exere. 17 tb. 31. &c.*

TH. XVI.

Ex jam dictis nunc luce meridianâ clarius apparet, quod forma hujus contractus in solo consensu mutuo dñe vel operâ, ab utraque parte, L. 5. §. 1. L. 29. ff. pro Soc. lucri & quæstus gratiâ conferenda consistat, L. 32. ff. eod. Quibus ita positis habetur contractus Societatis, si unum deficit, talis non est, propterea si ab unâ parte tantum res & fructus communicantur, ab altera verò neque res, neque opera in commune conferuntur, non erit Societatis contractus, sed donatio, cujus veto causa recte non contrahitur Societas L. 5. §. fin. ff. pro Soc. L. 32. §. 24. ff. de donat. inter vir. & uxor. *Lauterb. in Coll. Theor. praet. adff. b. t. §. 12.* Idem est, si duo consentiunt, ut res ad certum tem-

pus

pus quidem sit communis, non autem lucri, sed alia ex ratione id fiat, Societas non censetur contracta, *Mud. ad L. 31. n. 5. ff. b. t. Lauterb. l. c. §. 13.*

TH. XVII.

Quod consensu contrahatur Societas, dictum est, videndum nunc, quomodo hic declarandus. Et puto, quod non solum verbis expressis, L. 4. ff. b. t. sed etiam factō, scilicet rerum collatione, intentione Societatem ineundi, L. 44. ff. eod. L. 12. §. 1. ff. de praefer. verb. Struv. Exerc. 22. tb. 22. declarari possit. In dubio vero, quia facti est, ea non presumitur, sed probanda venit, *Carpz. lib. V. Resp. 20. num. 8.* Colligitur tamen inde tacitus consensus, si libri rationum communi nomine inscripti & intitulati, *Carpz. d. l. num. 20. Dn. Stryk. incaut. contract. sect. 2. c. 10. §. 2.* Si duo negotientur, & lucra reciproce communicentur, si unum signum commune omnibus adponatur ballis, si unum institorem communi nomine destinaverint, &c. *Lauterb. c. l. §. 15.* facta enim plus pondoris habere dicuntur ad consenatum declarandum, quam verba, L. 48. §. 3. de edilit. edit.

TH. XIX.

Posita causa ponitur effectus: progredior itaque ad Societatis contractae Effectum, ex cuius explicatione etiam de natura finis constabit. Hic vero est vel primus vel ortus seu secundus; ille consistit partim in mutua obligatione, ad id, quod ex natura contractus sibi invicem debentur, partim etiam in ipsa rerum communione, ex quibus hic, seu ortus descendit effectus, qui nihil aliud est, quam actio pro Socio mutua, ex utraque parte directa, per quam principaliter ab initio uterque obligatur. §. 2. *Inst. de part. tenuenda*

zemerē litig. Estque hæc actio personalis, bonæ fidei , §. 28. *Inst. de act. quæ competit Socijs adversus Socios ad id quod sibi invicem Societaris nomine præstare tenentur, consequendum.* Sicuti autem hæc actio est rei persecutoria , §. 17. *Inst. de Act.* ita competit non solùm Socijs contra Socios, verùm etiam hæredibus contra Sociorum hæredes , L. 35. L. 63. §. 8. ff. pro Soc. daturque insuper non modò ad constituendam Societatem, & ad quid sibi invicem vel ex natura contractus vel conventione sunt obligati , L. 73. §. 74. ff. eod. Sed etiam ad eam dissolvendam , L. 14. §. seqq. L. 65. pr. ff. L. 5. C. pro Soc. dividendasque res in Societate communes. Nec huic meo asserto contraria est *Lex 1. ff. Comm. div.* in quā vocabulum MAGIS comparativè explicandum , unius enim positio non est alterius exclusio . Si namque datur ad dissolutionem Societatis *dicit. Text.* datur etiam ad diuisiōnem, quippe quæ consequens dissolutionis est , ita, ut huic minimè obstat , quod actio pro Socio sit de reb⁹ in commune conferendis , L. 52. §. 8. L. 74. ff. pro Soc. Attendenda enim hic fundata distinc̄io, an agatur ad constituendam, an verò ad dissolvendam Societatem. Dicis : ita actio communi dividendo foret frustranea & non necessaria. R. id est, quod negatur, quoniam etiam dantur res ex alia causā citra Societatem communes. §. 2. *Inst. de oblig. que ex quasi contr.* L. 2. ff. pro Soc. Deinde non infrequens in jure est, quod etiam duæ actiones in una eademque re concurrant, L. 38. §. 1. ff. eod. §. 2. *Inst. de Legat.* Excipis : petitio divisionis est species vindicationis. R. non petitur hic divisio jure dominii, sed ex obligatione , qua oritur ex Societatis communione. Regeris : actio pro Socio non admittit adjudicationem , L. 43. ff. pro Soc. sine qua nulla esse potest divisio.

R. prin-

¶. principaliter concedo ; non verò minus principaliter,
Deinde distingv. an prius actum sit communi dividundo
actione , ex quâ jamjam facta adjudicatio , an verò non.
Priori modô allegata Lex intelligenda, non posteriori mo-
dô. *Magnif. Dn. Schwendend. ad Eckold.lib.X. t.3. S.3.*

TH. XIX.

Nulla Societatis in æternum coitio est , L. 70. ff. b. t.
consideratis igitur modis illam constituendi ; recte
quoque de modis eandem resolvendi aliquid dicendum
erit. Accidit verò dissolutio vel ex personis , vel
re , vel ex voluntate vel actione. *Brunnem. ad L. 63. ff.*
pro Soc. num. 9. ideoque sive homines, sive res interierint,
sive voluntas, sive actio mutata sit , distrahitur Societas,
L. 63. §. 10. ff. cod. Wefenbec. ad ff. b. t. n. 6. 11. Ratione per-
sonarum solvitur morte Sociorum , naturali scilicet vel
civili, hoc est, maximâ & mediâ capit is deminutio *L.*
4. §. 1. L. 63. §. fin. ff. pro Soc. Secus est in minimâ, ut arro-
gatione & emancipatione, arrogatus enim & emancipa-
tus similiter Socij manent, arrogator verò non fit *Socius*
L. 58. §. 2. L. 65. §. 11. inf. ff. b. t. Sic mortuò unò Sociò nec
continuatur inter cœteros, §. 5. *Inst. L. 65. §. 9. ff. cod. Dn.*
Stryk. c. l. scit. 2. c. 10. §. 8. Res enim in eo statu, in quo
convenere, non amplius est; nec ad successores, partim ob
hæredis favorem , ne quis invitus in communione deti-
neatur , partim ob Sociorum jus quæsumum, quia personæ
industriam elegerunt , §. 5. *Inst. de Societ.* devolvitur. Ex-
ceptio tamen est in vestigialium Societate , L. 59. ff. cod.
quia hæredes jam in locationis, conductionis contractu
cum Fisco inito comprehensi censentur , *Pagenst. ad Lau-*
terb. manip. 1. pag. 191. Ratione rerum autem fit dissolu-
tio , si vel negotium propter quod inita, finitum, §. 6. *Inst.*

103 16. 66

Inß. de Societ. L. 65. §. 10. ff. eod. vel si res ipsæ in Societatem venientes perierint, sublatō enim principali, tollitur accessorium, non entis nulla dantur prædicata. Et hoc non solum in particulari, sed & universali Societate verum esse puto, sive casu sive per publicationem L. 63. §. ult. ff. pro Soc. vel cessionem bonorum contigerit, L. 65. §. 1. ff. eod. *Struv. in Synt. Jur. Civ. 22. th. 40.* Id quod & verum, si res humanæ eximantur commercio *Mant.* L. VI. t. 25. num. t. seqq. quoniam tunc extra patrimonium constituuntur. Deinde expirat Societas ex voluntate Sociorum, hoc est, dissensu, eadem enim sunt principia resolutionis ac constitutionis. Declaratur autem hic dissensus vel expressè vel tacite, quippe quod per separatam fieri solet negotiationem, L. 64. ff. pro Soc. Tantum tamen absit, ut hoc solum procedere, si omnes dissentient Socij, afferam, ut potius unius etiam dissensum sufficere existimem, L. 65. §. 3. ff. b. t. Nemo namque invitus in Societate permanere cogitur, L. f. C. comr. div. Hopp. in comm. ad Inß. pag. 744. Tandem distrahit eriam actione pro Socio d. L. 65. pr. quā agitur ad eandem dissolvendam, quia causa Societatis vel Sociorum morte vel rerum mutatione, vel contrariâ voluntate mutata est, *Meier. in Colleg. Jurid. Arg. b. t. th. 14. seqq.* hinc horum uno accidente Socij hoc judicio experiri possunt, & ad dissolutionem & rerum communium æqualem divisionem. Et quamvis quoad hanc plurimi dissentiant, inter quos etiam est *Lauterb. in Coll. Theor. Pract. ad ff. b. t. §. 25.* Nihilominus tamen ad eorum dubia in- §. præced, sufficienter responsum fuisse existimo.

PARS

PARS SPECIALIS.

TH. I.

PActa dant normam contractibus. Et quamvis communis Doctorum sententia in eo consistat, quod nullum omnino pactum ita corroborari possit Societas, ut Socij inter se detineantur inviti permanere in illa, L.f.C.comm. div. L. 14. & 70. ff pro Soc. communionem enim matrem esse multarum discordiarum L. 77. §. 20. de Leg. 2. quin imo in Societate semper novas emergere obligationes, & sic res semper videri integra, ut hinc non tam obligationi contractae, quam contrahendae, renuncietur, afferunt, Merv. P.II. decis. 192. & ex eo Hopp. ad Inst. pag. 744. nihilominus tamen eorum partes, qui in contrarium abeunt sententiam, defendendas mihi sumo, & firmiter statuo, impossibile haut esse, ut Societas aliqua ita firmiter contrahi possit, ne Socius invitum alterum ex Societate impunè discedat. Infirma autem haec mea assertio non videtur, partim quia omnia pacta animo deliberato inita firmissimam hodie producunt obligationem; per pacta enim omnia in contractibus, quae eorum substantiam non mutant, mutari possunt, L. 23. L. 27. ff. de R.I. partim, quod quilibet ad quodlibet per haec sese obligare potest, volenti enim nunquam aliqua infertur injuria.

TH. II.

Uti alias proverbium & s̄p̄e veriverbiū: quot capita, tot sensus: sic quoque in decidenda vexatisimā hac Quaſtione: quomodo Pactum hoc validē adjici possit? idem obtinet. Nonnulli enim eam fovent opinionem,

C

quod

quod pacto aliquo simplici quis sese adstringere valeat, ut
 ipsi intra tempora conventa ex Societate abire liberum
 non sit, e.g. Daz auch keinen von der Societät/es sey
 auf was Weise es immer wölle / binnen der gesetzten
 Zeit aus der Compagnie zutreten freystehen solle / wie
 sie dann hiemit sich ausdrücklich / solche die beliebten
 10. Jahr (Zeit Lebens) auszuhalten verbindlich ma-
 chen. Qualem verò hocce pactum effectum atque effi-
 caciā sortiatur, colligere licebit ex sequentibus. Dupli-
 cem enim haec conventione habet significationem, cum hu-
 jus significatio partim sit, ne renuncietur fraudulenter &
 intempestivè; Fit verò fraudulenta renuntiatio, quando
 ceterorum jam interest, Societatem non dissolvi, *Mēv. P. II.*
decif. 192. num. 6. intempestivè autem facta censetur, si an-
 te tempus placidum ea contingit, *L. 65. §. 5. ff. pro Soc.*
 hinc in poenam renunciantis liberat quidem Socium, non
 verò renunciantem, qui Socio omne lucrum nihilominus
 communicare tenetur, *§. 4. Inf. L. 65. §. 3. ff. pro Soc.* Et
 sic superfluum est, nihilque operatur, quia est de natura
 Societatis, *L. 14. ff. eod. Brunnum. ad b. L. 65. C.*
b. 1. num. 4. naturalia enim semper & tacite inesse præsu-
 muntur; partim verò, ne intempestivè & bona fide disceda-
 tur, quamvis justa ad renunciandi ratio, & hoc modò
 hoc pactum non efficit, quo minus unus Sociorum alte-
 rō invitò ex Societate abire queat, tacitam namque sem-
 per habet conditionem, nisi justa & legitima discedendi
 causa adsit, quoniam alias alter alterum vexandi occasio-
 nem arripere posset, *Petr. Barbos. in L. si filius familias 26.*
§. f. num. 30. ff. solut. matr. Porro ex LL. ipsis permisum
 legitur, quod etiam ante tempus conventum renunciari
 possit Societati, si nimirūm Socius sit rixosus, aut damno-
 sus,

sus , aut diu absfuturus , vel promissis non stet , vel quod
ea re frui non liceat , L. 14. ff. pro Soc. Mant. L. VI. t. 23.
Valasc. conf. 158. Gutierrez. de Juram. confir. P. I. c. 58. num. 8. Mo-
lin. D. sp. 414. num. 14. slegg. Brunnenm. ad L. 5. C. b. t. num. 4. & L.
14. ff. cod. num. 1. 2.

TH. III.

Alij firmissimum Societatis vinculum esse statuunt,
si validissimō juramenti firmamento corroboretur con-
tractus. Sine dubiō verum intellectum volunt-juramen-
tum , unde effectum vix haberet , si assereretur per verba:
Juramenti loco , oder an Eydes statt / nec non sese re-
ferendo ad verba aeternae veritatis , bey den Worten der
ewigen Wahrheit / hæc enim veri juramenti vim non
habent in judicij , sed hæc : Ita me DEUS adjuvet , Oder :
so wahr mit GODE helsse. Quæ etiam sufficiunt ,
quamvis non additum sit: juro, ich schwere / Stryk. in cause.
contr. sect. 1. c. 5. §. 18. putant enim quod, sicuti renuncia-
tiones , quæ aliás in puncto juris subsistere non possunt ,
juramenti tamen robore confirmantur : ita quoque in
Societate quilibet favori suo renunciare posset , & maxi-
mè si ad hoc juramenti vinculum accederet. Sic Minor
juramentō contractum confirmans non restituitur in in-
tegrum , artb. Sacramenta puberum , C. si adversus vendit.
validē enim huic beneficio per hoc renunciare potest ,
nam Sacmentum ex Minore facit Majorem. Item Fi-
liusfamiliās , quamvis aliás SCto Macedoniano renuncia-
re haut valeat , arg. L. 7. §. 14. ff. ad SCtum Maeed. L. 38. ff.
de Pact. Juramentum tamen si accedat , hoc beneficio
non gaudebit , Carpz. decis. 286. num. 8. Porrò etiam
foeminæ , licet contrahenti adjungatur Curator , ob sexus
fragilitatem , quando verò jurejurando firmatur contra-

Etus, nihil obstabit, quò minus firmiter obligetur etiam
absque Curatore, *Stryk. l. c. Sez. 2. c. 2. §. 30.* Alt juramen-
tum per se non est obligatorium, quia non vinculum prin-
cipale sed accessorium est, hinc actum, cui adjicitur, se-
quitur. Actus autem hic, ut quis invitus teneatur perma-
nere in Societate, illicitus est, iniquum enim, si occasione
Societatis quis in continuis litibus vivere deberet, *Brun-
nem. ad L. 59. ff. pro Soc. & cum illo Dn. Stryk. in cau. Sez. 2. c.
10. §. 8.* Occasionem insuper præbet ad delinquendum,
quam de facili Socius ad alterum vexandum arripere pos-
set, quod autem ad delinquendum invitat, absque con-
troversia turpe est, *L. 27. §. 3. & 4. ff. de Paci.* Deinde
juramentum peccati nutrimentum esse non debet, quod
esset, si lis durante Societate sopiri non posset, *Brunnem.
ad L. 3. C. b. 1. num. 3.* Accedit & hoc, quod renunciatio
ad non cogitata sese non extendat, quamvis sit jurata,
Dalner. de renunc. c. 2. num. 18. Dn. Stryk. c. 1. Sez. 1. c. 5. §. 14.
Socij enim in perpetuis litibus vivere velle, non praesu-
muntur, quando contrahunt, tacita itaque semper inest
conditio, rebus sic stantibus, *L. 38. ff. de Solut. & liber. hoc
est, si Societas eò in statu permaneat, in quo contrahitur.*

TH. IV.

Vidimus ita, quod neque pactum simplex, neque
accessorium juramentum aliquid efficiat ad corroboran-
dum Societatis contractum; nullum propterea superest
juris remedium, ad eò diutius Societatis contractum
continuandum, quam si poena aliqua contractui adjicia-
tur, in illum scilicet statuenda, qui causam dissolutionis
dederit, *Hector Felic. de Societ. c. 29. num. 2. seqq.*

Oderunt peccare mali formidine poena:

Unde

Unde si perversa hominum malitia ad concordiam excōlendam amore virtutis adigi non potest, pœnā aliquā o-
pus erit, quā coērceatur prava eorum malitia. Ne verō
vis fiat innocentia, prævia aliqualis causæ cognitio sibi lo-
cum vindicabit, quippe quæ vel arbitrio proborum viro-
rum in arte mercatoria bene versatorum, vel judicio
prudentum, ut relinquatur, necesse est, *Stryk. in caut. sect.*
2. c. 10. §. 9. Sequens propterea cutela in ineundo Societatis contractu non exiguum dabit utilitatem, si conveniat
ur: Und damit auch die Societät desto beständiger
sey / so haben allerseits Contrahenten beliebet / daß
solche Zeit ihres Lebens [die beliebten 10. Jahr] unter
ihnen feste bestehen möchte/ und keinem aus was Ursachen
es sey / daraus zutreten soll frey gelassen werden;
Da sich aber wieder Vermuthen einiges Mißver-
ständniß entweder wegen der Handlung/ oder anderer
Ursachen halber unter ihnen finden sollte / wollen sie
dennoch deswegen ihre Compagnie nicht trennen/ son-
dern einen Arbitrum sothane Streitigkeit unter ihnen
abzuthun erkiesen / da aber auch hierdurch der Sa-
che noch nicht solte können abgeholfen werden / so
wollen sie solche entweder zweyer verständigen Rauff-
Leuthe unpartheischen Ausspruch / oder rechtlichen
Erfäntniß überlassen / welcher nun alsdenn dies-
ser Uneinigkeit Ursache gefunden wird / soll dem
anderen in 1000. Rthlr. Straße verfallen seyn/ und
hierauf die Societät sich erstlich verschlagen. Non du-
biū est itaque , quin ita satis sibi prospicerint Socij ,
cum pœna statuta , quæ interesse loco esse potest , non so-
lū à Socio importuno , sed etiam ejus hæredibus exigi
possit , quoniam conventionalis est , & ex conventione

partium oritur, L. 47. ff. de Act. emt. vendit. §. f. Inst. de verb. oblig. Debetur enim ex contractu, illud autem, quod ex hoc debetur, etiam hæredes contrahentium firmiter obligat, Dn. Stryk. in annot. ad Lauterb. p. 94.

TH. V.

Ex jam dictis ulterius exsurgit Quæstio: si ita Socij con-
venerunt, ut exsurgente aliquà controversia Titij & Sem-
pronij arbitrium interponendum sit, Titius & Sempronius
autem arbitrium vel nollent vel non possent suscipere,
Quæritur: An hoc casu ad boni Viri recurrendū arbitrium?
Negativa defendenda quidem videtur ex L. 75 ff. pro Soc. Act.
cum hæc lex de eō saltem casu, ubi actum, ut solus Titius
arbitrium interponat, intelligenda, Menoch. conf. 93. n.
41. seqq. Deinde potius de arbitrio circa substantia-
contractus Societatis interponendo loquatur; nostrum
vero pactum §. præced. explicatum accidentalia saltim So-
cietas concernat, lis enim ex accidenti & prater contra-
hentium intentionem accidit, non video, cur non defi-
ciente Titiō & Sempronio arbitrium boni Viri eligendum
sit, L. 43. ff. de verbor. oblig. Brunnum. ad L. 75 ff. pro Soc.
nam ubi eadem est ratio, ibi eadem obtinet juris dispo-
sitio.

TH. VI.

Validum hisce Societatis firmamentum inter ipsos So-
cios nunc pensitavimus, restat igitur quoque consideran-
dum, quibus modis ea ita contrahi possit, ut ad hæredes
eius obligatio transeat. Et quamvis ferè ex omnibus o-
mnino Contractibus hæredes contrahentium etiam obli-
gentur, nihilominus tamen peculiare quid partim ob hæ-
redum,

sedum, partim ob Sociorum favorem obtinet in Societate. *vid. Part. gen. §. XIX.* Hisce autem non inficias eo, quodquidem non solum pacto aliquo fieri possit, ut inter reliquos post mortem unius Socij continuetur Societas, & omnia Societatis emolumenta ratione negotiorum gestorum in hæredes devolvantur, L. 63. §. 8. ff. pro Soc. verum etiam, quod ipsi hæredes bonam fidem præstare, & inchoata ratione particularium negotiorum occasione Societatis obvenientium à defuncto, perficere debeant, L. 40. ff. eod nec non quod omnis obligatio & actio in illos transeat, L. 65. §. 9. ff. b. t. *Struv. Exerc. 22. 9.* 41. *Lauterb. in Coll. Theor. præt. ad ff. b. t. §. 30.* Hæres enim succedit in omne jus, quod defunctus habuit, ergo & factum illius præstare tenetur; hoc tamen verum, quod nec ab initio pacisci liceat, ut hæredes in Societate succedant, L. 35. L. 59. pr. L. 65. §. 9. II. ff. pro Soc. L. 6. §. 6. de his qui notant. infam. quia hæredis persona incerta, cum incerta autem persona Societas persistere habeat potest, quoniam fides ac specialis diligentia approbata præfamitur, deinde etiam nemini invito obtruditur Societas, L. 65. §. 11. ff. pro Soc. Contractus enim consensualis est, & adhuc omnium contrahentium verus desideratur consensus, quia alias de facili litis materia in præbere posset, *Meier. in Coll. Jurid. Argent. L. XVII. t. 2. §. 6. n. 9. 10.*

TH. VII.

Uti vero præcedens pactum ne jurejurando quidem poterat corroborari: ita nec in hoc alium effectum producere valebit. Afferunt tamen nonnulli, quod per sacramenti confirmationem pactio de hæredibus omnino subsistat, validumque sit Societatis firmamentum, quoniam

ut

ut in hæredibus continuetur non involveret malignitatem , neque per se esset malum , *Molin. Disp. 414. num. 16.* cum quo facit *Franzk. b. t. num. 123.* Et verum quidem hoc , inepta enim ratio , quod pactum hoc cum bonis motibus videatur pugnare , si enim per se malum in vestigariis tale pactum non posset subsistere , *Molin. diß. Disp. 414. num. 6. seqq.* falsum tamen est præsuppositum , quasi jusjurandum defuncti etiam in hæredibus sit obligatorium . Juramentum namque quid personalissimum est , sicuti igitur Jure Saxon. ne Procurator quidem in animam alterius juraturus admittitur , *Ordin. Process. Sax. Tit. 18. §. fin.* ita multò minus juramentum à defuncto in antecedenti contractu absque hæredis voluntate præstitum , animam Successoris obligare poterit . *Felic. de Societ. Cap. 32. Brunnem. ad L. 3. C. b. t. n. 3.*

TH. IIX.

Duplicem iterum hocce pactum respicit interpretationem ; Cum enim ex hoc tūm hæredum , tūm etiam Sociorum interfit : sic quoque omnibus enitendum viribus , ut utriusque parti satisfiat , nec cujusquam interesse lädatur . Sociorum quod attinet Interesse , in eo potissimum positum est , quod personæ industriam elegisse præsumantur , quia verò hoc , quando alter operas , alter verò tantum res seu pecuniam in Societatem transfert , corruit , non video , cur non hoc easu pactum sequens valeare possit : Dass auch N. N. hinterlassene Erben binnen beliebter Zeit von denen in der Societät befindlichen Capitalien den gemeinen Gewinst und Verlust tragen sollen / wie dann beyderseits Contrahenten sich ausdrücklich hiermit dazu wollen verbündlich gemacht haben.

33 25. 20

haben. Nam cessat Lex, si causa finalis adæquata cessa^r,
L. 6. §. 2. ff. de Jur. Patronat. Nechuius asserto obstat va-
let, quod cum incerta persona non ineatur Societas, quia
sic potius res, quam persona in Societatem veniunt. Et
præterea si ab utraque parte etiam persone ratione ope-
rarum consideranda sint, non absque effectu foret, si
hæredes in contractu nominativi exprimantur: Dass/wo-
fern N.N. unter determinirter Zeit der Compagnie ver-
sterben solte / es dennoch dessen hinterlassenen Söhnen
und Erben N.N. freygelassen seyn solte / dass sie bisz zu
Ende die Societät continuiren mögen / tunc etiam cum
ipsis hæredibus Societatem contraxisse censemur Socij.
Quotamen casu si hæredes adhuc minorennos, vel curato-
ribus indigeant, syadendum esse putat Da. Stryck, ne se-
creta Societatis manifestentur, quod pacificandum sit, ut
ipsis Curator ex Sociorum numero constituantur, nullum
enim est dubium, quin tutor etiam pacto constitui possit.
S. 9. Inst. de excus. Tut. modo postea confirmatio Magi-
stratus accedat, laudat. Stryck. in Caut. Contr. Sect. 2.c.
20. S. 21.

TH. IX.

Si itaque favori Sociorum satisfactum, ut firmiter
maneat obligati cum hæredibus prædefuneti Socij con-
tinuare Societatem, discendum quoque, quomodo ipsi
hæredes obligari possint, ut Socijs quoque teneantur post
mortem unius in Societate permanere. Multi in eâ fir-
miter hærent sententiâ & opinione, quod solius defuncti
Socij voluntas, quam in ineundo contractu declaravit,
sufficiat, præprimis si volentibus Socijs illius præceptum,
quod ex appositô juramento collectum volunt, concurrat.

D

Valaf.



*Valaf. Conf. 63. num. ult. Guttierrez. de juram. conf. P. 1.
 c. 58. num. 3. Brunnem. ad L. 3. C. pro Soc. num. 3. Quia
 verò nemo beneficijs alterius à LL. introductis renuncia-
 re valet , nemini enim invito , hoc est , non consentien-
 te,jus suum auferendum est. §. 2. Inst. de his . qui sunt sui
 vel alienijur. Sic nec favori hæredis legibus introducto
 defunctus pacto præjudicare valet. Nec obstat, quod hæ-
 res & defunctus habeantur pro unâ personâ ; nam hoc de
 favorabilibus, non verò de odiosis , quo in sensu Pater &
 Filius etiam habentur pro unâ personâ, intelligendum est.
 Multò minus contrarium est , quod hæres omne factum
 defuncti præstare teneatur : exceptio namque specialis de
 Societatis contractu in LL. reperitur. L. 35. L. 59. pr. L. 65.
 §. 9. 11. ff. pro Soc. Quando igitur interest Sociorum , ut
 etiam hæredes in Societate permaneant , non sibi satis
 prospexitse putant , si continuatio jurejurando promissa ,
 neque si simplici pacto in hæredes directo promissio con-
 tineatur. Satius proinde est , ab initio sibi consulere ,
 quām postvulneratam causam remedium quærere. Opti-
 mè propterea Societati prospicitur , si hærediti sub amis-
 sione hæreditatis Societatis continuatio injungatur , cum
 hac tamen discretione , ut liberis , si in communione per-
 manere detrectent , salva relinquatur Legitima, hæc enim
 nulla gravamina admittit. Si igitur conventum : Und ob
 schon einer von denen Contrahenten vorgesetzter Zeit
 mit Tod abgehen solte / so sollen dennoch dessen Erben
 gehalten seyn / in der Societät bis zu Ende zu verblei-
 ben / wie sie denn dieselben allerseits bey Verlust der
 Erbschafft dahin wollen verblüdlich gemacht haben /
 doch daß solches ihren Kindern an der legitima möge
 unschädlich seyn ; Hæredes quoque si hæreditatem a-
 gnoscunt,*

gnoscunt , de Societate continuandā validē obligantur ,
Brunnem. ad L. 8. C. pro Soc. Valent enim hodie quæcunque hæredibus pœnæ loco adjecta . *L. un. C. de his, que pœnæ nomin. § fin. Inſt. de legat.* Hoc autem pactō non obstante liberum adhuc manet hæredibus , ut superveniente aliquā causā etiam renunciare valeant Societati , quicquid enim defuncto licebat , licebit & hæredi , *Brunnem. ad L. 59. ff. pro Soc.* Hinc si quis firmissimum desiderat Societatis firmamentum , necesse est , ut omnia pacta hac speciali Parte expressa in Societatis contractū inseri curen̄t .

TH. X.

Et tantum est , honoratissime L. quod de VALIDO SOCIETATIS FIRMAMENTO differere lubuit , hæcque hac ex amplissimā materiā prioribus saltim labris attigisse sufficiant , omnia enim , quæ laxius hic tractari potuissent , ijs ulteriū enucleanda relinquo , quibus subtilioribus meditationibus eò liberius indulgere integrum est . Interim ut B. L. institutis meis qualibuscunque favere velit , enixè rogo , DEOque insuper , in cuius nomine hunc suscepi laborem , & nunc exoptatam imposui coronam , pro clementi assistentia sua immortales exsolvens gratias , ab illius Numine , quod supra omnes , humillimè precor , velit cœptis meis & imposterum gratiosè adesse , ut omnia in Ejus infinitam Gloriam , Patriæque commodum evergant !



COROL.

28. 28

COROLLARIA.

I.

Jus Naturae adeò immutabile est, ut nec DEUS contra quid fieri agere permittat.

II.

Jus Naturae permisivum non est verum Jus, divisio propterea in permisivum & preceptivum non est adequata.

III.

Socialitas norma Juris Naturalis inadqua-ta est.

IV.

Voluntas DEI & recta ratio rectius pro Norma Juris N. habentur.

V.

Jus publicum omnino differt à Politica.

VI.

Jus Publicum non ex LL. Justinianeis, sed cum que Reip. fundamentalibus addiscendum.

VII.

Rex R. etiam gaudet Maiestate Reali-



10200

ULB Halle
001 608 150



3

sb.

VDA8


VSA7



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-694130-p0042-7

DFG



Farbkarte #13

1701, I

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA,
DE
VALIDO
SOCIETATIS
FIRMAMENTO,
Quam
DEO FAVENTE
ET
INCLYTA JCOTORUM FACULTATE
IN ANTIQVISSIMA ERFURTENSIA
ACADEMIA CONSENTIENTE
IN AUDITORIO JCOTORUM MAJORI
d. 10. Maii A.D. M. DCCI.
PRO
LICENTIA
*Supremos in Utroque Iure Honores, Insignia
ac Privilegia Doctoralia legi-
time acquirendi,
Publicæ Eruditorum Disquisitioni
absque PRÆSIDE
submitit*

JOHANN ANDREAS SLEHMÜLLER.
ERFORDIAE,
Excudebat JOH. HENR. STROß / Acad. Typogr.

